



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Flores Directorii Inqvisitorvm

Bariola, Luigi

Mediolani, 1625

Consilivm Vigessimqvintvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11434

352
CONSILIVM VIGESIMVM QVINTVM

CVM elemosinae pro societate Laicorum in Ecclesia Regularium erecta quaeritari sole-
rent per Quaestorem Laicum ab ipsis Con-
fratribus laicis institutum; Prior Conuen-
tus iussit quaeritari per fratrem Conuersum sui Con-
uentus (vt tamen in eosdem vsus, in quos prius ex-
penderentur,) eò quòd videret dictos Confratres non
soluere Monasterio, quae debebant pro Missis, & alijs
inter eos conuentis, & quia non seruabant leges, &
constitutiones dictae Confraternitatis.

Quaeritur, an Prior incurrerit excommunicationem
latam contra vsurpantes bona, & iura Ecclesiae, seu
piorum locorum.

Respondeo; praefatum Priorem nullam propterea
contraxisse censuram: tum, quia nulla hic
adest vsurpatio; siquidem vsurpare (iuxta Caiet. in
Summ. verbo Excommunicatio, cap. 48.) est fraudi-
bus exquisitis, siue coloribus aliquid sibi appropriare;
iste autem Prior, nec fraudibus, nec coloribus, nec
sibi, sed Monasterij indemnitati de consensu discre-
torum consuluit: Tum, quia casus 17. Bullae Coenae
excommunicat tantum vsurpantes, & sequestran-
tes fructus Ecclesiasticos, vt Ecclesiasticos, sine
licentia Papae, vel alterius ad quem spectat dare
licentiam: & Bulla poenalis ad alium casum ex-
tendi non debet. c. Poenae, de poenit. dist. 1. Nauar.
de senten. excommunic. consil. 34. Cum ergo ele-
mosynae per Quaestorem Conuersum de Prioris man-
dato colligendae, nullo pacto dici possint fructus,
siue redditus Ecclesiastici, quoniam non ex fundo,
seu

Vigesimum quintum, & Vigesimum sextum. 353
feu beneficio aliquo Ecclesiastico, sed ex laicorum
crumenis Ecclesiæ donantium liberaliter deducan-
tur; sequitur præfatum Priorem excommunicatione
in Bulla Cœnæ contenta nullo pacto ligari.

Sed esto, quod eleemosinæ huiusmodi possent ali-
quo pacto, fructus Ecclesiastici, siue redditus ap-
pellari; non propterea ligaretur præfata censura:
siquidem easdem non cœpit, nec colligere fecit Prior
auctoritatiuè, vsurpando auctoritatem tanquam
Dominus, vel persona publica, sed tanquam credi-
tor, qui putauit sibi licere capere tantum de bonis
sui debitoris, quantum sibi debebatur. Nauar. de
sentent. excomm. consil. 35. & Caiet. in Summa in v.
Excommunicatio. cap. 27.

Adde per impossibile, quod si pecunias illas, tan-
quam fur, & latro accepisset, ac sibi retinisset, non
tamen Bullæ censuram contraxisset. Nauar. & Caiet.
vbi supra, quia non auctoritate publica laica, sed pri-
uata, & ita sentio ego.

CONSILIVM VIGESIMVMSEXTVM.

MONASTERIVM N. Regularium est
in pacifica possessione supra centum an-
nos cuiusdam Oppidi, & consecutiuè cau-
ponæ, & Clibani, vt Conductores pos-
sint ad libitum fabricare panem, ac vendere car-
nes, & vinum. Oppidum existit in vna Plebe
cuius Feudatarius est Titius, & propterea (vt ip-
se asserit) Dominus Datij panis, vini, & carni-
um omnium locorum dictæ Plebi subiectorum. Titius
nunquam se opposuit præfato Monasterio, & Con-
ducto-